

T14

## *Apologia 25, 9 - 27, 4*

### La definizione di “mago”

**25 (9)** Nam si, quod ego apud plurimos lego, Persarum lingua magus est qui nostra sacerdos, quod tandem est crimen, sacerdotem esse et rite nosse atque scire atque callere leges ceremoniarum, fas sacrorum, ius religionum? **(10)** Si quidem magia id est quod Plato interpretatur, cum commemorat, quibusnam disciplinis puerum regno adulescentem Persae imbuant – verba ipsa divini viri memini, quae tu mecum, Maxime, recognosce:

**(11)** “δις ἐπτὰ δὲ γενόμενον ἑτῶν τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν οὓς ἔκεινοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσιν· εἰσὶν δὲ ἔξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέτταρες, ὃ τε σοφώτατος καὶ ὃ δικαιότατος καὶ ὃ σωφρονέστατος καὶ ὃ ἀνδρειότατος. ὃν δὲ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ὄρομάζου· ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία· διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά”.

**26 (1)** Auditisne magiam, qui eam temere accusatis, artem esse dis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi pergnaram, piam scilicet et divini scientem, **(2)** iam inde a Zoroastre et Oromaze auctoribus suis nobilem, caelitum antistitam, **(3)** quippe qui inter prima regalia docetur nec ulli temere inter Persas concessum est magum esse, haud magis quam regnare.

**(4)** Idem Plato in alia sermocinatione de Zalmoxi quodam Thraci generis, sed eiusdem artis viro ita scriptum reliquit: “τὰς δὲ ἐπωδὰς εἶναι τοὺς λόγους τοὺς καλούς”. **(5)** Quod si ita est, cur mihi nosse non liceat vel Zalmoxi bona verba vel Zoroastri sacerdotia? **(6)** Sin vero more vulgari eum isti proprie magum existimant, qui communione loquendi cum deis immortalibus ad omnia quae velit incredibili quadam vi cantaminum polleat, oppido miror, cur accusare non timuerint quem posse tantum fatentur. **(7)** Neque enim tam occulta et divina potentia caveri potest itidem ut cetera. **(8)** Sicarium qui in iudicium vocat, comitatus venit; qui venenarium accusat, scrupulosius cibatur; qui furem arguit, sua custodit. **(9)** Enimvero qui magum qualem isti dicunt in discrimen capitum deducit, quibus comitibus, quibus scrupulis, quibus custodibus perniciem caecam et inevitabilem prohibeat? Nullis scilicet; et ideo id genus crimen non est eius accusare, qui credit.

**27 (1)** Verum haec ferme communi quodam errore imperitorum philosophis obiectantur, ut partim eorum qui corporum causas meras et simplicis rimantur irreligiosos putent eoque aiant deos abnuere, ut Anaxagoram et Leucippum et Democritum et Epicurum ceterosque rerum naturae patronos, **(2)** partim autem, qui providentiam mundi curiosius vestigant et impensius deos celebrant, eos vero vulgo magos nominent, quasi facere etiam sciant quae sciant fieri, ut olim fuere Epimenides et Orpheus et Pythagoras et Ostanes, **(3)** ac dein similiter suspectata Empedocli catharmoe, Socrati daemonion, Platonis τὸ ἀγαθόν. **(4)** Gratulor igitur mihi, cum et ego tot ac tantis viris adnumeror.